DE MUSICES INFLUXU IN ANIMU DISSERTATIO INAUGURALIS...

Antonio Magrini

DE MUSICES INFLUXU IN ANIMUM

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

Ad summos Medicinae honores obtinendos

PUBLICI JURIS FACIT

ANTONIUS MAGRINI

FOROJULIENSIS

PATAVII
TYPIS PENADA
MDCCCXLIII.

CLARISSIMO DOCTORI

ANTONIO GALVANI

C. R. UNIVERSITATIS PATAVINAE CANCELLARIO

ANTONIUS MAGRINI

S. P. D.

Tenue sane, quod tibi offero, egregie Doctor. — Arduum munus, quod suscipio, de influxu musices nostrum in organismum argumentum sistit. Nec ingenii acies, nec eruditionis species, nec novitatis pretium mea scripta exornant; hic vero tantum in mentem revocare nitor therapeuticum auxilium, in musica situm, de quo auctores celebratissimi, remoto aevo, tractatus diffusos exararunt, dum nostris temporibus a medicis plerisque negligitur, immo frequenter risu dignum atque despectu existimatur.

Dilectio, quam semper mihi largitus es, nunc non deficiat, quum valido nobilique Mecenate, quam maxime indigeam.

Accipe, quaeso, animo indulgenti atque benigno infirmi juvenis conatus, talique ratione jure meritoque tuae amicitiae novum specimen exaltabo.

Innumeras inter controversias, quae omni aevo medicorum mentes agitarant, quaeque, eheu nimis!, profanis, ut scientiam nostram sublimem contumeliis lacesserent, argumentum suppeditarunt, magni quidem momenti quaestio occurrit an psychica medicina validam actionem nostrum in organismum exerceat necne; sed, si juveni inexperto de re gravissima judicium proferre licet, facile propositum solvitur statim ac consideremus plerumque exhilarationem, consolationes, spem etc. salutem omnino desperatam aegris restituisse, in quibus omnia medica auxilia in pharmacopoliis contenta incassum administrabantur. Et re quidem vera quo ex fonte homoeopathicae methodi v. gr. utilitatem eruere possumus nisi ex psychica efficientia, si doses remediorum propinatae, si solita diaetetica auxilia adhibita mirabiles sanationes obtentas nullo modo explicare queunt?

Prae ceteris vero potentiis, psychice infirmitates aegrae humanitatis levantibus, musice efficacissimam auxilium sistere mihi videtur. Et ipse saepe hoc fere divino auxilio animi mei aegritudines mitigavi, et beatissimas horas transegi. Quapropter, quum hac die, qua laurum medicam assequor, de aliquo medico argumento disserere mihi incumbat, musicae a primis usque unguiculis practice deditus, quasi ut grato animo erga hanc psychicam efficientiam satisfaciam, de illius influxu in animum brevia exarare nitor, praecicum illius usum, qua therapeuticum auxilium magis diffusum cupiens.

Summus musicae in organismum influxus jam remotissimis temporibus agnoscebatur; deque hac veritate et de communi musicae aestimatione argumentum habemus in eo quod ipsi divinam originem fabulae fingerent; nec non in mithologicis historiis de hujus auxilii efficacia. Musis, Apollini, Mercurio musicam veteres tribuebant, fabulaeque enarrant in Orphei historia musices fastus et virtutem.

Musice cum homine nata, a primis humanitatis diebus, ut poenas mitigarent, mortalibus donabatur, atque nobilium dulciumque affectuum interpres gratissimus fiebat; musice enim est amoris et gaudii loquela.

Nec in hominem modo efficaciam suam

musica exercet, quin immo et animalia ab ipsa vividissime afficiuntur. Campestris fistula greges regit; neminem fugit excitatio peculiaris equorum, sonante tuba; Saint-Pierre refert araneos in angulo cubiculi alicujus sitos, ubi musices studiosus commorabat, quotiescunque musicam audiebant, locum longinquam deseruisse et ad sonantem accessisse, ibique remansisse donec sonus durabat. — Home musices effectum in leones et elephantes studuit, ipseque detexit haec animalia omni attentione tonos acutos colligere, et in furorem abire, quum tonos graves audiant. Experimenta Parisiis repetita sunt de elephantibus — hi primitus stuporis indicia obtulerunt et dein patentissime gaudium manifestarunt ex musica receptum. Quisque scit canes aliquos sub musices deliciis ululatus edere; et ipse vidi canem instrumentum, ex quo sonus educebatur, lambendo gaudii testimonium proferre. Quidam credunt ululatus hac sub conditione nostras lacrymas aequare, et doloris indicium esse, a vehementi animi motu procedentia; alii e contra putant sonos moleste canes reapse afficere, uti stridens lima vel serra lapicidae. Qui vero primam sententiam amplectuntur historias referunt canum qui, quum mane militum musicam sequerentur, vespere theatra petebant, ubi musices hauriebant oblectamenta, quin a desiderio illae vocaran-

tur berum sequendi. Romae *il cane armonico* exemplum clarissimum hujus generis praebait. Qain tamen de animalibus majori intelligentia donatis sermo sit, in memoriam revocare sufficiat etiam serpentes musices percipere delicias. Biblia sacra ipsa hac de re suspicionem inducont; atque in regionibus orientalibus frequentissime occurrunt agyrtae serpentes impavide tractantes illosque mansuetos offerentes atque choreas quasi ludentes sub musica. Non credo musicam venenum illis abstulisse; hi enim antea dentibus vel sacculis veneni arte privati sunt, sed certum est musicae efficaciam et aspides persentire.

Quidam auctores putant musicam in homines excultos suam actionem exercere, sed minime in rudes; id vero veritati non respondere compertum est — In musica melodiam ab harmonia distinguere debemus; quod si harmonia per se, quae ab arte producitur et in successione sistit concentuum, illos plerumque taedio afficiat, qui nulla exercitatione gaudent, qui rudem ducunt vitam, non idem de melode censendam ea natura ipsa procedente, elatas sensationes et animi pathemata exacte exprimente, populi animum vividissime afficiente.

Nec rudes solummodo et exercitio carentes musicam libenter audiunt ipsiusque vim persentiunt; nam etiam stupidi ex morbo huic

fere fascino subjacent. Ut assertum comprobare tentem historiam ad rem referre studeo.

Femina quaedam sexaginta circiter annorum, a prima usque aetate in nosocomio La Salpêtrière collecta, dejectam plane intelligentiam semper ostendit. Instinctus omnes illius actiones regit; edendo, bibendo, vix a ciborum adspectu commota, miseram vitam suam agit. Nec vestes induere, nec labori cuivis operam dare, nec loqui quidem unquam voluit, et nihilominus musicae amore ita percellitur, et fere in hoc excellit, ut medici omnes obstupescunt. Complures notas cantilenas murmurat et sufficit ut una vice musicos sonos audiat ad illos exactissime sua voce, non loquela ea enim caret, repetendos. — Aliquando experimenti causa cantionem aliquam novissimam musici extemplo inceperant, et, dein subito silentibus, idiota perbene cantui incepto finem imposuit. Quum musicus celeberrimus coram illa sonaret, idiota cibum deserens, et fructus speciatim, quos intenso desiderio prosequebatur, attentionem intensissimam ad musicam convertit: immota, oculis fixis digitos musici observans, vel contractiones innumeras edens, suas manus dentibus laedens, adspectum difficile exponendum offerebat. Si faciem illius adspicere potuisses vibrationes omnium

fibrillarum fere omnibus chordarum vibrationibus respondere vidisses. — Mota, quae audiebat, prae solito more non repetebat, ac si nimis vivido excitamento deprehenderetur, vel auxuru tonos amittere timeret. Transitus a tono gravi ad acutos vehementer illam afficiebat, uti electricus ictus. Hoc experimentum pluries repetitum fuit semper eodem exitu; et fere similia exempla etiam Fodéré atque Esquirol adducunt.

Si tales musicae effectus sunt in rudes, quomodo in excultos agit? Musice influxum activissimum exercet in sensus, in imaginandi facultatem, in vires omnes intellectuales, et consequenter in reliquum universum organismum, tum sub sanitate quum morbo saeviente. Haec musices activitas quibusdam in regionibus magis perspicua est, ita exempli gratia in Italia.

Qui musices effectus in nostrum animum fictis sensationibus tribuunt, ex praejudiciis deductis, qui musices amorem flocci faciunt, et delicias inde exortas nugas censent, omnino falluntur. Medicus philosophus, observationibus accuratissimis innixus, in musica proprietates quasdam agnoscit, quae ipsi dominium certissimum in homines tribuunt, quocunque sub stato vivant, quorunque in climate, qualescunque mores societatis sint. — Post eu-

ras gravissimas dives sub grata melodia vocis atque chordarum reficientem capit somnum; sapiens ex musica novas recipit vires ut gravioribus studiis mentem intendat; poëta phantasiae imagines musices auxilio vividioribus coloribus pingit, ita Alfieri postquam in theatro musicae delicias gustaret tragoedias suas sublimes conscripsit, ita Byron sua eterna poëmata; miles tuba sonante mortem impavidus despicit et strenuo animo inimica inter arma progreditur, ita Tirtaeus Athenienses ad pugnas incitabat, ita Callinus Ephesios; amantis melos spem laetitiamque fovet, amasiaque teneros affectus et poenas amoris canit, sicque sua gaudia dicit; musice convivii laetitiam auget, suis cantilenis agricolae omnes vitae miserias obliviscuntur, sylvarumque incolae arma, amores, bella pacisque dona canunt. Uno verbo musica hominem sequitur quavis in vitae conditione, atque, quin erroris meta corripiar, proponere non dubito musicam praecipuum oblectationum et gaudii nostri agens communiter constituere.

Musices actio in organismum nostrum, ea prorsus ratione perficitur, qua plurium aliorum agentium nos circumdantium, quorum actus minus perspicui sunt. Musica sejunctim seu simultanea ratione nostra in organa agit, in sensus et imaginandi facultatem.

Quidam nervosa constitutione donati immodice musices actionem patiuntur, tum plura phaenomena novissima edunt, propter impressionem a musica receptam. Hic delirium ferme patitur, illa ridet, hujusque generis casum Rousseau de femina refert, alii agitantur, tonos absque conscientia marmore sequuntur, elata voce in theatris loquuntur, saltant, laudibus extollunt vel contumeliis lacessunt inhonestè musicos, prouti bene vel male tonos referunt, alii fletus edunt, alii gemitus aut gaudii laetitiaeque immodicae signa. Quidam improviso carmina edens aliquando ad carmina, invito etiam animo, ducebatur, musices sub imperio. Historia hujusmodi exempla innumera refert de summa vi musices in physicas et intellectuales hominis facultates.

Quum melodia penetrans, vel exprimens harmonia habeatur, nervosum systema eminenter afficitur. Si concentus praesertim nervos auditus excitent, vividas sensationes inducendo, hae ad phantasiam transferuntur, quae plures ideas vel veras vel fictas sibi pingit, ex quibus inde affectus complures novaque pathemata, quae, consequenter organismum universum, sed frequentius et eminenter organa singula, incitant et ad reactionem inducunt. Ita organa nostra duplici ratione a musica afficiuntur; 1. nimirum ope physici effectus ex soni, rhythmi

et musici motus natura originem immediate recipientis; 2. ope consequentiae sive effectus secundarii eorundem agentium imaginandi facultatem aggredientium, quapropter alii organici nisus in scenam prodeunt: secundum effectum Fourier-Pescay intellectualem vocat.

At si una ex parte summam musicae efficaciam nostrum in organismum patentissime deprehendimus, ex alia modus, quo haec potentia nos afficit, hucusque naturae studiosos latet. — Haec tamen miserae infirmaeque humanae mentis est sors; facta conspicimus, consequentias admiramus, causas efficientes omnino ignorando. Ad musicam nunc revertendo, prius considerare debemus soni actionem in organon auditus, haecque agendi ratio huc usque haud plane perspicua physiologis est; dein actionem specialem soni *musici* in organismum et immediate in cerebrum, hicque majores difficultes invenimus. Quae prolata sunt, uti hypotheses solum considerari merentur: in posterum fortasse hae hypotheses certitudinis gradum acquirent, studiis physiologorum progredientibus ... forsan mea spes erit samaium, somnium vero insons, quod alioquin argumentis minus infirmis destitutum modo judicare non possumus ob Phrenologiae studia quibus in dies copiosores cultores operam dant. Mechanismus auditus non hic pertinet, musicae enim

effectus plane distant a simplici sono, quamobrem phrenologorum mentem de musices organo, de cerebri scilicet parte, quam directe melos adficit, exponere tento.

Musices ingenium, consonantias vel dissonantias musicas percipiendi facultas, dispositio ad cantum, memoria toni, melodiae atque harmoniae sensus, organon habet immediate angulo externo oculi superius insidens — quum valde evolutum sit frontem quadratam efficit et partem lateralem capitis valde dilatat.

Auditus organon soni impressiones recipit et grate vel ingrate ab illis afficitur, sed tonos retinere nequit, nec judicium de illorum relationibus ferre valet, nec soni harmonias percipit. Ergo admittenda sunt juxta phrenologos facultas tonos concipiens, memoria illos retinens, instinctus nos impellens ad eosdem reproducendos, hoc est ad cantum. Haec facultas musices organon a Gall nuncupatur. Spurzheim e contra in duas facultates musices organon dividit; nempe in organon rhythmi, ex quo metronomia, et organon soni, idque confirmatum habemus pluribus in musicis, qui hac aliave facultate carere possunt. Hoc organon etiam in animalibus observatur, ita exempli gratia aves quae continuo canunt, habent laterales eminentias ad frontem praesentant: quibus e contra carent volucres, qui silent. In specie humana

tam mas quam femina hac gaudent facultate, in animalibus vero frequenter solammodo mares. Non omnes tamen qui musicae operam dant hoc organon manifeste evolutam praebent: aliqui enim nullo genio ducti, sed potius more aut imitatione, musicam colunt. Tale organon, maxime evolutum in speciebus volatilium canoris, atque in illis, qui genio docti musicae operam navarunt, evictum est.

Gall patat quod organon hoc magis inserviat musicae creationi quam executioni; huic vero colorem, vim, animam, ut ita dicam, tribuit. En campus, quem physiologorum investigationibus phrenologia subministrat.

Dum vero musices efficaciam in organismum in memoriam ducimus, ridiculam sententiam J. B. Porta non amplectimur qui panaceam in musica invenit, et putat sonos ex instrumentis e lignis medicinalibus elicitos therapeuticam virtutem lignorum eorundem participare. Nec penitus Homero fidendum, Theophrasto, Plutarco, Galeno, qui musicam putant morsus serpentum, rheumata, pestem sanare valuisse — Item plena fides concedenda non est Bonnet, Baghvi, Kirker, Haffenreffer, qui musicen praedicarunt in phthisi, arthritide, hydrophobia etc.

Quum historia, ab auctoribus fide dignissimis exarata, facta logicae non repugnantia

referat, quis ipsi sana mente donatus, nec praeconceptis opinionibus illusus, fidem praestare negabit? Quapropter, ut melius musices applicationis efficacia in morbis deducatur, sequentes adjicimus historias.

Timotheus Alexandri animum, musices imperio, regebat. David cithara melancholicos furores Saul mitigare valuit. Homerus refert medicos Ulyssis dolorem ferum sedavisse ex apri morsu productum musices auxilio. Dodart musicum vidit delirio et febri vehementi musices ope liberari; statim ac concentus primos aeger audivit, serenum adspectum illius facies assumpsit, quietus omni attentione harmoniam hausit, convulsiones cessarunt, lacrymae gaudium illius patefecerunt, atque exinde perfecte morbo liberabatur. Albertus Bavariae dux, Friderici filius, podagrae accessus mitiores reddebat, musica adjuvante — fortasse tantis deliciis tum afficiebatur, ut dolori praesenti attentionem non amplius tribueret. Gessner similia ille, refert de Italo quodam. Nec casus quem Bourdois, medicus et philosophus summus, narrat, minus admirationem nostram excitat. Tractabat ipse juvenem quendam, febri vehementissima symptomatibus gravioribus stipata, correptum. Auxilia cuncta artis medicae incassum propinata sunt; jamque spes salutis parentes deserebat.

Palsus vix perceptibilis tangebatur, facies hippocratica observabatur, artus rigidi; at loquela negata motusque voluntarii suspensi de proximo malo exitu indicium offerebant. Quum medicus citharam cerneret, illius sonos tentare suasit, quo consilio accepto, citharoeda appellata, dimidiam post horam, harmonia durante, medicus observavit aegrae respirationem liberiorem et celeriorem fieri, et thoracis elevationem isochronam cum musices rhythmo. Nisu fidicinae aucto, vivificans calor omnia aegrotae membra petiit, pulsus regularis tangebatur, suspiria profundissima edebantur, et dein subito epistaxi successa, loquela infirmae concedebatur, quae in posteram perfecte sanitatem reparabat.

Dessessarts dicit musices auxilio febri stupida correptum, sopore et delirio comitata, ad sanationem adductam vidisse. Item furor hoc pacto fugabatur etc. etc.

Plures historiae nos monent Nigros captivos, quadam melancholiae specie nostalgiam simulante prehensos, ab Europaeis musica sanari.

Saeculo decimoquinto et decimosexto saevissima vertigo Italiae populos pandemice vexabat. Qui illa corripiebantur animi prostrationem summam patiebantur, delirio afficiebantur et suicidii desiderio. Haec epidemia nullam societatis classem immunem reliquit, et

saepe saepius tragico exitu in singulis individuis morbus hic finem habuit. Auctores quidam contemporanei, et vulgus praesertim atque agyrtae hunc morbum cujusdam aranei, *tarantola* vocati, speciei morsui tribuebant, quod genus frequentissime in Italiae meridionalibus regionibus occurrit. Recentiores medici hanc sententiam non participant, sed alia ex parte morbum epidemicum non negant; plura enim perstant testimonia irrefragabilia. Quidquid de morbi natura sentiendum sit certum est musicen solammodo hujus morbi remedium stitisse. Concentus primi aegrorum apathiam auferebant, illi attentionem intensam sono tribuebant, membra agiliora praesefere bant, rhythmum musices sequebantur et deinceps choreas pedibus plaudebant. Musica cessante et haec agitatio cessabat, sed morbi tristia symptomata in secuam prodibant, nisi musica eousque continuaret, quo lassitudine correpti aegri humi prosternerentur; tum somnus reficiens concedebatur, ex quo expegefacti optime se habebant.

Ut relatam historiam veritati, non adversari demonstremus, in memoriam revocare sufficiat utilitatem musices in epilepsia, cujus ni sanationem perfectam promoveat accessus tamen impedit et rariores reddit, in catalepsi atque praesertim in vesaniis.

Omnibus ex hisce historiis edocti asserere non dubitamus musicam praecipuum auxilium therapeuticum sistere — Illius actio praesertim in nervos et imaginandi facultatem exercetur, quapropter nervosae affectiones sedantur et morbi cessant, ad quos fovendos praesertim phantasia symbolam fert.

Illius effectus perspicue observatur in affectionibus omnibus et prae ceteris in nervosis, quae procedunt ex affectuum commotionibus, et praecipue ex tristibus pathematibus originem sumunt. Etiam mentales affectiones, melancholiae speciatim characterem offerentes, a musica sanationem expectant. Vesani tamen aliquando sub musices usu in pejus progressi sunt; id vero non musicae sed illius abusui aut potius ipsi morbi stadio tribuendum censemus. Uti enim in cujusvis remedii applicatione, summum studium atque medici astutia, quum de vesanis agatur, requiruntur, idem etiam de musica dicendum. Hypochondriasis et hysterismus prae aliis affectionibus morbosis auxilium a musica repetunt. Nec solum nervoses, verum etiam morbi cujusvis systematis musicae imperium agnoscunt, quae saluti prospicere potest, attentionem saltem distrahendo.

Non omnes musices species in quovis morbo conferunt, sed illas prudens medicus, omnibus rite perpensis et praesertim morbi condi-

tiame et aegri cultura, seligere debet. Nec semper hic contraria contrariis objicienda sunt, nam v. gr. si in melancholia musicam laetam adhiberemus forsan aegri molestias augeremus; quam contrarium effectum musica tristi obtinere concessum foret. Ergo saepe musica utilior est si ideas plures exprimat, illarum similes, quae aegrum torquent.

Musica erotica amanti convenit, sacra melancholico, bellicosa militi, aerumnis vexato, pathematibus affecto musica tristis, et praesertim initio *tonus minor*, quum in posterum laeti etiam concentus valdopere prodesse possint. Musica in theatris frequenter effectum magis perspicuum praesefert, aliis enim efficacissimis potentiis tunc conjungitur.

Praeter auxilium a musica in auditus organon agente repetendum, etiam activitatem illius in organa vocis considerare debemus. Cantus et lusus instrumenti, ope spiritus educti sonum edentis, respirationis et vocis organa validiora efficiunt, dummodo praeter modum non intendantur. Relate ad cantum observare debemus quod plurimum loquelam juvet, et optimum successum in balbutiei cura promittat.

Nec hic tantummodo musices utilitates restant; nam medici quidam diagnostico scopo musica usi sunt. In diversis morbis diversos aegri edunt sonos, illorum juxta experi-

menta; idque procedere potest ex varia regione tramitis respirationis atque vocis affecta. Non adhuc de hac re certa habemus argumenta ut veritatem illius praedicemus, sed utile visum est tales repetere indagines ut aliquid certi eruatur.

Adplicatio vero musicae, quae magis humanitatis grati animi sensus exposcit, a veronensi Proculo instituebatur — Hic vivissima ani similium caritate perculsus, ab infantia musicae deditus, cainde statuit levamen, aegro humano generi ferendum, deducere; taliqua ratione loquelam surdo-matis reddere intendit — Nec sublime propositum fefellit. Surdo-muti attactu pectoris canentis aliisque auxiliis, quae sagax mens et philantropia institutori suggessit, musicae divino fascino percellebantur, et canere in ecclesiis discebant. Sed eheu nimis! invida mors patriae, gloriae infeliciumqae spei philanthropum sophum abstulit! Grati animi lacrymas humanitas illius super sepulcrum ploret — dum discipuli sapientes inceptum opus institutoris continuare nitantur, ut vitae carioris, ut societatis deliciis miserrimos illos restituere valeant. Auspiciis nostris et votis et spe sanctum munus sequamur!

Theses Defendendae

I.

Falsum est musicam juvare in morbis solum psychicis.

II.

Balbuties ex causa organica rarior illa, quae a peculiari timore et verecundia derivat.

III.

Functiones auditus nobiliores sunt ipso visu.

IV.

Mutitas ex linguae mala conformatione omnino rara.

V.

Arteriae eandem fere sanguinis quantitatem semper continent.

VI.

Strictissimo sermone, aliqua motus et sensibilitatis species etiam vegetabilibus tribuenda est.

VII.

Plures substantiae, communiter alcaloideae vocatae, revero alcaloidea non sunt, nec ab analysi chemica educuntur sed producuntur.

VIII.

Alcaloidea omnia pro remedio ex quo deducuntur adhiberi non possunt.

IX.

Divisio therapeutica remediorum omnino exacta non conceditur.

X.

Quin in crumena tuum pharmacopolium ferre valeas, quo magis restrictam pharmacopoeam sequaris, dummodo incompleta non sit, eo melius.